SERENISSIMI PRINCIPIS DONATI OBITVS.

Superiorum permiſſu.

VENETIIS, M. DCXIII.

Apud Euangeliſtam Deuchinum.

SERENISSIMI PRINCIPIS
DONATI OBITVS.

EGREGII *ante alios animi, Diuisq; merendo,*
Quà fas, penè pares illi, quorum incly-ta Virtus
Dat pulchras florere ſuis cum Ciuibus Vrbes,
Quique alacres in aperta animas diſcrimina dulci
Pro Patria, veterum pro Libertate parentum
Proijciunt, vitæque nihil diſpendia curant.
Talis eras, fruſtra quem nunc lugemus ademptum,
O Pater, ò Princeps, DONO *conceſſe Deorum*
Hactenus huic Vrbi: talem te ſcilicet olim,
Eſſet adhuc ætas cum fortior, & tibi nondum
Curuarent humeros ingentia pondera regni,
Sæpius experti Proceres, populusque, patresque.
Præcipue dum tu Superum ceu Nuncius orbem
Immenſum peragras iteratis curſibus, atque
Nunc altas ſuperas Alpes, nunc æquora longa
Traijcis, ignoti perferſque incommoda Cœli,
Vt Regum penetres aulas, & fœdera iungas,
Ociaque optantem in Patriam, pacemque reportes.
Te quoque Cenomani talem ſenſere Coloni,
Gens armis, opibusque potens, cum turbidus horror
Bellorum ingrueret: cinctus nam milite forti,

Armata

Armata fulgensque toga, ferroque togato,
Ipſe metus omnes, tempeſtatemque fugaſti,
Acer, & in ferrum, in flammas ruere vſque paratu
Triſtia vt arceres noſtris procul omnia ab oris.
At qualis, quantuſque, modo cum ſceptra teneres,
Et maria, & terras, quorum tibi credita cura,
Proſpiceres ſummo de vertice? nam neque rerum
Aſpera te facies, fulmen neque terruit ipſum.
Ceſſiſtique malis nunquam. Prudentia namque
Aſtitit, inuictumque armans Conſtantia pectus,
Sedulitasque vigens, & amantes inclyta Cura.
Tum placidi à te aberat nunquam indulgentia Cœli.
Quanquam igitur tua claudantur nunc oſſa ſepulcro,
Res tamen illuſtres, & facta ingentia eodem
Marmore condentur nunquam. te Fama ſuperſtes
Ereptum tenebris, & caligantibus Umbris
Poſt cineres ſupereſſe dabit. te Gloria ouanti
Ad cœlum tollet curru. tua nomina tollent
Reges, atque Duces. Seri celebraberis æui
Laudibus, & ſtudio memori, plauſuque fauenti.
Nec te longa dies, quamuis abolere potis ſit
Omnia, delebit. Viues, dum ſtabit, & vndis
Iura dabit victrix Vrbs hæc fundata ſecundis
Auſpicijs Superum, mireque fauentibus aſtris.
Quam Latium colit omne, colunt quam barbara regna,
Compoſitisque Duces animis venerantur, & armis,
Paciferamque ſimul, bellatricemque ſalutant.

OCTAVII MENINI.